DE ANENCEPHALIA

CUM

NOVISSIMI CASUS ANENCEPHALI

POST

PARTUM VIVI EXPOSITIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICO-PHYSIOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERRMANNUS MATTERSDORF

SILESIUS.

Dr. Pietzcker

ACCEDIT TABULA LAPIDI INSCULPTA.

OPPONENTIBUS:

GUIL. FRAENKEL, MED. ET CHIR. DR.

JOS. FALK, MED. ET CHIR. DR.

HEINR. SCHWEITZER, CAND. MED.

BEROLINI,

TYPIS SITTENFELDII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO AMPLISSIMO

JOANNI MUELLER,

DICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE IN UNIVERSITATE TERARIA FRIDERICA GUILELMA ET IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, MUSAEI THEATRIQUE ANATOMICI DIRECTORI, COMPLURIUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

HUNCCE

LIBELLUM ACADEMICUM

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quamnam materiam dissertatiunculae meae tractandam eligerem, multum ac diu mecum consului, quum metus mihi inesset, ne quid centies triti tractarem, neve vires, si quid novi producerem, suscepto impares essent. Mihi adeo in dubio haesitanti a VIRO ILLUST. MUELLER casus novissimus anencephali liberaliter traditus est observationi, quo in perscrutando ipse summa cum humanitate me adjuvit. Benevolenter igitur palam hic pronuntiatum grati animi sensum accipiat, cujus nulla unquam oblivio abolere valebit memoriam.

Descriptioni vero casus ipsius quam accuratissime proposui de anencephalia in scriptis dispersas observationes et theorias, et litteraturam locis respondentibus contuli. Atque ita tandem hasce paucas paginas, quas benigno ut animo excipiant, nec severius rigidiusque castigent benevolos lectores rogatos velim, publici juris facere audeo.

— im Innern scheint ein Geist gewaltig zu ringen,
Wie er durchbräche den Kreis, Willkühr zu schaffen den Formen
Wie dem Wollen; doch was er beginnt, beginnt er vergebens.
Denn zwar drängt er sich vor zu diesen Gliedern, zu jenen,
Stattet mächtig sie aus, jedoch schon darben dagegen
Andere Glieder, die Last des Uebergewichtes vernichtet
Alle Schöne der Form, und alle reine Bewegung.

Göthe.

§. 1.

Anencephali illa monstra vocantur, quorum cerebrum et ossa cranii vel minus sunt exculta vel prorsus desiderantur. [1]) Ex *Meckelii* [2]) ratione anencephali primum primae classis ordinem monstrorum constituunt, *Tiedemannus* [3]) vero illos in septimam suam redigit classem.

§. 2.

Anencephali ut acephali saepius cum infantibus bene formatis in lucem eduntur, *Sulsmanni*, *Doneaudi Vallisnerii*que licet contrarium arguant observationes. Anencephalorum matres, quae saepius et gemellos enixae sunt, abortu plerumque monstra sua emiserunt, in gemellis sano foetu semper praegresso, ut *Schelhamer*, *Everhard*, *Cooper*, *Clarke*, *Monro*, *Winslaw* aliique contra *Du Monceau* et *Lankisch* auctoritatem testantur, majorique vi, qua foetus normalis uterum ad contractiones compellit partum suum properantes, explanare operam dederunt. Quod vero anencephalorum abortum ipsum attinet, truncum, jam prius regulariter, et capitis sumptibus magis evolutum ad contractiones praematuras (mensi septimo vel octavo) uterum permovere,

---

1) Idem vitium et auctores vocant acephaliam spuriam, acraniam, uranoscopiam aut, ut Malacarne, microcephaliam.

2) Handbuch der pathologischen Anatomie. Bd. 1. S. 425.

3) Anatomie der kopflosen Mißgeburten.

indeque abortum prolicere vix refutare valebis. Ceterum partus, quum monstrum illud minus impleat spatii, ac foetus normalis, expedite procedere solet, raro ut in casibus *Couraigne* et *Odhelii* instrumenta in usum vocata sunt. Plurimum anencephalos, ut alia monstra puellas esse *Morgagni* et *Sandifort* docuerunt, et *Otto* [1]) unum modo masculini generis inter quatuor anencephalos, et septem masc. gener. inter duo de viginti numeravit. Quum plurimi foetus, abortu emissi, feminini sint generis, *Tiedemannus* [2]) omnes embryones humanas usque ad decimam hebdomadem femininum sexum servare ratus est, observationibus suis tunc temporis institutis confirmatus genitalium, quae serius demum in illa marium evolvi, situmque huc usque illi feminarum persimilem commutare edocuit, [3]) indeque *Ackermannum* [4]) et *Authenriethium* [5]) contradicit, [6]) qui primo genitalia embryonum nec unum nec alterum exhibere genus putaverunt.

I. GENESIS.

§. 3.

De anencephalorum origine adhuc magna inter physiologos est dissensio; opinantur alii vitium jam in embryone conformatum, alii typo quidem normali cerebrum antea excultum fuisse, postea vero deletum conjiciunt; denuo, quomodo hoc processerit, discrepantes, mox mechanicam externam, mox internam, mox utramque requirunt causam. Quare nunc illas exponamus, alium ordinem, quam gravitate earum praescriptum vix respicientes.

---

1) Monstrorum sex humanorum anatomica et physiologica disquisitio. Francof. ad Viadr. 1811. 4.

2) Anatomie der kopflosen Mißgeburten. S. 80 u. 84.

3) l. c. p. 84 ff.

4) Infantis androgyni historia. Jenae 1805. p. 53.

5) Bemerkungen über die Verschiedenheit beider Geschlechter und ihrer Zeugungsorgane, als Beitrag zu einer Theorie der Anatomie. (In Reils und Authenrieths Archiv für Physiologie. Bd. 7. S. 88.)

6) l. c. p. 80.

§. 4.

A. HYDROCEPHALIA.

Procul dubio inter causas primum locum tenet hydrocephalia, etsi, quomodo anencephaliam producat, adhuc in tenebris haeret; quare varias circa eam opiniones profitentur auctores. Discrepant enim, an cerebrum ante vesiculam cerebralem, aqua deletam, jam adfuerit, nec ne. ***Tiedemannus***,[1]) ut ***Mohrenheim***,[2]) ***Penada***,[3]) ***Klein***[4]) et ***Morgagni***[5]) cerebrum nunquam in anencephalis exstitisse putat, et causam mechanicam internam conjicit: aquae affluxu vesiculam, quae rudimentum capitis embryonis exhibet, vastari et anencephaliam procreari. ***Haller***[6]) et ***Ackermann*** causam mechanicam externam: cerebrum jam plus minusve conformatum aquae pressu deleri, proposuerunt, ut quoque ***Sandifort***,[7]) ***Rossi***[8]) et ***Siebold***.[9]) Nec desunt illis diversis opinionibus graves adversarii. ***Meckel***,[10]) ***Klinkosch***,[11]) ***Röderer***, ***Prochaska***, ***Sömmering*** theoriam ***Halleri*** oppugnaverunt, et argumentum suum: nervos sine cerebro nequaquam exoriri posse, sat refutarunt; nervi enim plurimi non ex cerebro, sed e medulla oblongata emittuntur. Attamen pro illa opinione casus novissimis temporibus Berolini observatus certare videtur. In puerulo nempe quinque mensium hydrocephalo chronico affecto, punctione prima ℥v, deinde, quum aegrotulus per 14 dies hilariorem praeberet adspectum ℥vii fluidi serosi evacuatae sunt. Tamen

---

1) l. c. p. 92.
2) Wiener Beiträge. Bd. 2. S. 316.
3) l. c. Theil 2 p. 55.
4) l. c. p. 5.
5) Ep. anat. XX. a. 57.
6) De foetu humano septimestri sine cerebro nato. In opp. anatom. p 290.
7) Anat. inf. cerebro destituti. p. 63.
8) *Mém. de la soc. de Turin. t. VI. p.* 28.
9) Lucina. Bd. 2. H. 3. p. 400.
10) l. c. p. 245. Man begreift in der That nicht, wenn man jene Meinung annimmt, woher die im Allgemeinen sehr große Aehnlichkeit zwischen den verschiedenen Mißgeburten rührt, die sich von Anwesenheit der Haare dicht über den Augenbraunen, und im ganzen Umfange der Hautstelle, deren Zerstörung durch einen äußern Unfall man annimmt, durch das Vorliegen der Augen, die so gewöhnliche Kleinheit der Nieren ausspricht rc. rc.
11) Program etc., qno anatomen partus capite monstroso proponit. Pragae 1766. p. 12.

extensio capitis permagna minus tantum imminuta, et puerulus, quamquam et sub operatione et post illam institutam ulla nervosa affectione liber apparuit, repente die VI. convulsionibus e vita decessit. Cadavere dissecto massam haemisphaericam non reperimus, sed materiem tenuiorem medullosam vesicae persimilem. extensam, ad piam matrem sitam, et punctione perforatam. Hic sat perspectum habemus, quomodo cerebrum paullatim hydrope consumari possit.

At *Tiedemanni* theoria argumentis prorsus non destituta est, quod inprimis vitia nonnulla accidentalia, quae simul cum hydrocephalia occurrunt, et originem ex priori evolutionis statu ducunt, contestari videntur. Qualiscunque vero sit origo hydrocephaliae, haec causa anencephaliae praecipua habenda, respicias similitudinem inter vitia accidentalia [1]) et vitae rationes hydrocephalorum et anencephalorum, aut assequaris *Wilbrandii* [2]) theoriam, qui sanguinis affluxu vitiose adaucto ad vesiculam cerebralem in foetu plasticam tam alienatam esse vim sanguinis docet, ut, quamquam diathesis lymphatica praevaleat, tamen statu inflammatorio hydrocephalia provocetur, [3]) cuius vitii discrasia scrofulosa, scorbutica et rhachitica, aut debilitas uteri, aut parentes aetate provectae praecipue dispositionem praebere possunt.

§. 5.

B. EVOLUTIO IMPEDITA.

Haud minoris momenti inter causas evolutio impedita habenda. *Meckel*, [4]) ***Prochaska***, [5]) ***Sömmering***, [6]) ***Authenrieth***, [7]) ***Gall*** et ***Brechet*** [8]) hanc profitentur opinionem, cui argumentorum gravitate, nec

1) *Meckel* l. c. — *Murray*. — *Schulzen*. foetus hydroceph. intern. correpti descriptio. Upsal. 1797. — *Burchard*. Ephem. n. c. D. I. a. III. obs. 13. p. 17.
2) Physiologie p. 367.
3) C. W. Quin's Abhandlung über Gehirnwassersucht, übersetzt von Michaelis p. 28.
4) l. c. p. 260.
5) Adnotation. Academ. Fasc. 3. p. 182.
6) l. c. p. 35.
7) Supplem. ad historiam embryonis humani. p. 38
8) Medizinische Encyclopädie von Meißner. Bd. I. p. 295.

non propria auctoritate plurimos comparavere assectatores. Breviter, quod illis praecipue documento sit, ibi exponamus.

1. Anencephalus, simul cum foetu sano editus, etsi hic maturus prodeat, tamen semper parvus invenitur, et evolutionem onstendit organorum singulorum totiusque massae impeditam.

2. *Meckel* anencephalum descripsit superiori parte aggregato obstructum osseo, quod ex vertebris cervicalibus et ossibus capitis imperfectis coalitum in priori formationis gradu remansisse arbitratus est.

3. Cum anencephalia in conspectum veniunt vitia, quae luculentius formationem demonstrant impeditam, non semper ab hydrocephalia derivanda.

a. Funiculus umbilicalis interdum brevissimus est et tenuissimus, ut in primis foetus temporibus solet.

b. Simul cum anencephalia labium leporinum et palatum scissum saepius occurrit, quod jam ab *Harvey*[1]) et *Authenrieth* ad evolutionem impeditam jure relatum est.

c. Spinam bifidam *Kerking*,[2]) *Sömmering*, *Otto*, *Tiedemann* et alii observarunt.

d. Haud raro herniae umbilicales in illis monstris inveniuntur, et *Prochaska* casum commemorat, quo e ventre fisso abdominis thoracisque organa prolapsa reperiebantur.

e. Colli et plurium vertebrarum defectus ex *Wepferi*,[3]) *Halleri*,[4]) *Prochascae* aliorumque observationibus haud minus illam manifestant opinionem.

f. Columna vertebralis foetus, usque ad V.—VI. mensem graviditatis incurvata, et in anencephalis pluries ita demonstrata est, ut priorem formationis gradum optime testari queat.

---

1) Exercitation. de generatione. ed. Amstel. p. 320.
2) Specilegium anatomicum. Amstel. 1760. Observ. 23. p. 56.
3) Ephem. Natur. Cur. Dec. 1. Ann. 3. Observ. 129. p. 187.
4) Oper. min. T. 3. p. 14.

g. Diverticulorum in intestinis anencephalorum *Otto*,[1]) et *Rosenmüller*[2]) mentionem fecerunt.

h. Non minus evolutionem impeditam structura ossium indicat, quod *Meckel*, *Büttner*, *Wrisberg*, *Markorel*[3]) et alii monuerunt.

4. Tandem historia evolutionis capitis hanc inprimis confirmat opinionem, nam cerebrum in embryone vesiculam exhibet fluido impletam aquoso pellucidoque, quod serius in massam medullosam et haemisphaericam evolvitur, facile vero illa in tam tenerrima formatione deleri potest.

Mihi, si tironi opinionem edicere liceat suam, hydrocephalus, statu quodam inflammatorio exortus, ita in caput influere videtur, ut anencephaliam provocet, et organa offensa in evolvendo prohibeat, quare evolutionem non anencephaliam procreare puto, sed coëfectum esse hydrocephaliae, qua de causa gradus evolutionis impeditae tempus definire possit, quo hydrocephalia foetum sit aggressa.

§. 6.

C. ANOMALIA VEGETATIONIS.

L. B. Pagliai,[4]) *Röderer*,[5]) *C. F. Wolf*,[6]) *Prochaska*,[7]) *Sömmering*,[8]) *Authenrieth*,[9]) *Fr. Meckel*[10]) et alii evolutionem impeditam dependere recenserunt ab vegetationis anomalia et inertia quadam, cujus originem *Tiedemannus*[11]) segnem generationem autumat, quod, si verum esset, causam anencephalorum jam in segni generatione demonstraret. Quam ut opinionem suam defendat, *Tiedemannus* casus

---

1) l. c. p. 20.
2) Rosenmüllers und Isenflamms Beiträge. Bd. 1. H. 1.
3) *Mém. pres. à l'acad. des sc. t. IV. p.* 459.
4) Conclusiones phisico medicae, quas sub auspiciis *Antonii Vallisneri* anno 1725. *L. B. Pagliai* exposuit. *In Vallisneri op. Fisico-Mediche. Venezia* 1733. *fol. T.* 3. *p.* 631.
5) Foetus parasitici descriptio in Comment. Soc. reg. Sc. Gotting. T. 4. Ann. 1754. p. 182.
6) De ortu monstrorum.
7) Commentatio quaedam in systema generationis et causas originis monstrorum in s. Adnotat. Acad. Fasc. alter. Pragae 1781. Sectio 3. p. 189.
8) Abbildung und Beschreibung einiger Mißgeburten. p. 35.
9) Supplem. ad historiam embryonis. p. 38.
10) Beiträge zur vergleichenden Anatomie. B. 1. H. 2. p. 158.
11) l. c. p. 107.

commemorat seriei monstrorum integrae, ab iisdem parentibus genitae, quos retulerunt *Burg*,[1]) *van Doeveren*,[2]) *Flachsland*,[3]) *Trew*,[4]) *Morand*[5]) et *Renou*.[6])

Huc quoque pertinet, quod *Blumenbach*[7]) et *Wolf* de monstrorum genesi judicant, qui directionem virium formantium (nisum formativum) omnibus illis injuriis mutari, indeque monstra procreari putant, quae generationem et foetus nutritionem alternare valent.

§. 7.

D. DISPOSITIO HAEREDITARIA.

Vix disputare possumus, dispositionem parentum haereditariam, uti ad alia monstra, forsitan quoque ad anencephalos influere, quam opinionem confirmat familia *Malthesiaca* ista *Gratio Kalega*, cujus filiorum unusquisque digitis sex in quaque manu deformatus erat. Alia argumenta suppeditantur ab *Narf*,[8]) *Lamarc*,[9]) *Salzmann*,[10]) *Henkel*,[11]) *Lucas*,[12]) *Heuermann*,[13]) aliisque, qui matres observavere, quae seriem totam monstrorum emiseruut. (c. §. 6.)

§. 8.

E. VIS IMAGINATIONIS MATRIS.

Inter varias, quibus anencephalorum aliorumve monstrorum derivari solet, injurias, et vis matris imaginationis in foetum a nonnullis re-

---

1) Ephem. Natur. Cur. Dec. 2 Anno 6. p. 143.
2) Observat. Acad. Cap. 15.
3) Observ. pathol. anatom. Rastadii 1800 p. 44.
4) In Nov. Act. Nat. Cur. T. 1. p. 445.
5) *Mém. de l'Acad. des Sciénc de Paris. Anno* 1770 *p.* 137.
6) *In Journ. de Physique par Rozier. Anno* 1774 *T.* 4. *p.* 370.
7) Ueber den Bildungstrieb. p. 111.
8) Osianders neue Denkwürdigkeiten 1 Bd. 1. Bogenz. p. 9.
9) I. de med. T. XXIII. pag. 516.
10) De tumoribus quib. serosis. pag. 10.
11) Viertr Sammlung chirurgischer Annalen. p. 54.
12) *Mem. of the med. society. vol* 4 *p.* 101.
13) Medizinische Beobachtungen Bd. 2. p. 231.

censetur auctoribus. *M. Weinrich*. *Fienus*, *Schook*, *Turner*, *Arnold* et alii huic incumbunt opinioni, illud in foetum, quo matris perterritus sit animus, transferri et inprimi docentes. Quam conjecturam *J. A. Blondel*, *Ludwig*, *Röderer*, *C. Beckmann*, *Gruner*, *Sömmering*, *Zimmer*, *Tiedemann* et alii recte infestantur hisce argumentis:

1. Anencephali saepe cum foetu sano connascuntur, immo saepe eandem habent placentam, eadem velamenta, et, ut *Mery* semel observavit, funiculum umbilicalem communem in medio divisum.

2. Ex matris phantasmatibus interna vitia declarari nequeunt, e. g. uterus bicornis, diverticula et alia in anencephalis accidentalia.

3. Matres, quae imaginationi suae monstrorum originem imputant, pluries similia aut ejusdem generis gignunt monstra, quamquam iisdem affectionibus animi semper obnoxias fuisse non contestantur.

4. Praeterea autem monstrorum originem ex vi imaginationis matris etiam monstra, quae regno quoque vegetabilium occurrunt, omnino refutant.

5. Tandem, ut similitudinem monstrorum cum illis invenias, quae matris animum perterruere, eadem fere imaginationis vis opus esset, ac ut illa gignantur, qua de re *Jean Paul* [1]) egregia fecit verba.

Attamen matris affectiones animi magnam in foetum vim exserere posse, nemo infitiatur. Irritamenta enim psychica ad vehementissima adnumerantur, praecipue in gravidis, in quibus affectus animi sanguinis affluxum utero vel retinent, et ad alia congerunt organa, aut in illo adaugent, et hoc modo formationem forsitan mutare, aut abortum provocare valent.

§. 9.

F. CAUSA MECHANICA.

Minime autem causae anencephalorum mechanicae (sensu strictiori) externae, a veteribus allatae, assentire possumus, quam jam *Hippocrates*, *Licetus*, tunc *Blondel*, *Duvernoy*, *Morand*, *Platner*, *Boor-*

1) Levana. p. 189.

have, *Sandifort*, *Le Cat* et alii praecipuam judicavere, *Winslow*, *Wolf* et alii falsam sat demonstrarunt, et *Meckel*[1]) ita offendit: Mechanica vi organa tam regulariter deformari nequeunt, nam in monstris gemellis semper organa ejusdem systematis cohaerunt, e. g.trachea cum trachea, nunquam cum oesophago etc. Eodem modo nova organa in monstris, quorum *Winslow*[2]) mentionem fecit, ex causa mechanica minime prodire possunt. Nihilominus autem, causam mechanicam externam (s. str.) ad singulas foetus partes influere posse, concedendum est, quod ad *Eisenbeisii*[3]) observationes de membris singulis embryonum mechanice difformatis spectat.

§. 10.

G. PRAEFORMATIO EMBRYONIS MONSTROSA.

Quod denique opinionem attinet, quam *Al. Littre*, *Duvernoy*, *Tyson*, *J. B. Winslow*, *J. A. Kulmus*, *van Döveren*, *Bianchi*[4]) et alii proposuerunt, embryonem jam monstrose praeformatam docentes, jam diu sat haec refutata est.

II. VITIA ACCIDENTALIA.

§. 11.

Nunc ad vitia accidentalia aggrediamur, quae genesin anencephalorum illustrandam multum conferunt, quam ob rem notatu dignissima in multis auctorum scriptis dispersa ibi collegimus. Praeter deformitates ossium capitis, quae omnibus in anencephalis simili modo haud satis evoluta videntur, etiam aliae in conspectum veniunt.

1, *Friedericus Meckel*[5]) et multi alii in anencephalis vertebras cervicales et superiores dorsales in postica parte apertas (spina bifida in nucha) observavit, coalitas, ad latus dextrum rejectas, in margine

1) l. c. p. 25 ff.

2) *Mém. de l'Acad. de sc.* 1743. *p.* 624.

3) Desp. de laesionibus mechanicis simulacrisque laesionum, foetu in utero contento accidentalibus ad illustrandas causas Infanticidii praes. *G. G. Ploucquet.* Tübing. 1799.

4) *Storia del monstro di diu corpi. p.* 17. *ff.*

5) Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie. Halle 1806. p. 165.

sinistro vero VII. foraminibus perforatas pro nervorum cervicalium decursu, quae monstrositas evolutionem impeditam anencephalorum clare manifestat. In foetu enim columna vertebralis cartilago conspicitur integra, quae serius demum puncta ossificationis, vertebras indicantia, exhibet.

2. Alia evolutio columnae vertebralis imperfecta, spina bifida in loco solito, semper in anencephalis occurrit, quod *Mery*, *Fauvel*, *Rouhault*, *Kohn*,[1]) *Walter*[2]) aliique demonstrant.

3. Sterni defectum in anencephalis retulerunt *Schelhamer*, *Superville*, *Büttner*, *Le Cat*, *Meckel*, *Mery* et alii.

4. Fere constans anencephalorum aestimare potest signum junctura brevis caput inter et truncum. Ne ullum vestigium quidem colli persaepe invenies, quare mentum thoraci, aures humeris innituntur. Huc pertinet observatio *Penadae*, qui cutem menti anencephali cujusdam scrobiculo inhaesisse memoriae tradidit, quod ex situ abnormi et coalitione vertebrarum cervicalium in statu priori, quo collo caput nondum distinctum est trunco, declarandum videtur.

Meckel collum perbreve ex distorsione et agglutinatione vertebrarum exoriri vult, causam mechanicam autumans, *Sömmering* vero: propter cranii occipitisque defectum partem capitis anteriorem (sc. faciem) sine nisu in adverso antrorsum in thoracem delabi, quod autem nobis minus liquere videtur, quum anencephali semper quoque oculis ad coelum directis conspicui sint, quare illud vitium et *Uranoscopia* nominatur. Quem colli defectum haud minus formationem indicare impeditam, ex *Wrisbergi*,[3]) *Sömmeringi*,[4]) *Authenriethii*[5]) aliorumque collectis observationibus, primis VIII. hebdomadibus collum nondum distinctum esse, elucet.

5. Praeter cerebri defectum et alia systematis nervorum vitia,

1) Misc. ph. med. Dec. I. a. IX.
2) Mus. anat. p. 121.
3) Descriptio anatomica embryonis. Gotting. 1764. 4.
4) Icones embryonum Francof. a. M. 1799. gr. fol.
5) l. c.

praecipue haecce medullae spinalis in anencephalis occurrunt. ***Robin de Kyavalle***[1]) et ***Penada***[2]) praeter completum cerebri defectum, quem etiam ***Bussiére***,[3]) et ***Klein***[4]) retulerunt, loco medullae spinalis mucum quendam observarunt tenacem. ***Poujol*** funiculum medullae spinalis parvum in canali vertebrali observavit, ***Vogli*** crassiorem, tegumentis solitis involutum, et quousque aderat, nervos emittentem, ***Winslow*** et ***Monro*** cuneiformem, in caudam equinam abeuntem cum 18 paribus nervorum descripsit. ***Busch*** 11 paria nervorum e medulla spinali commemoravit, quorum superiora directe adscendebant, media oblique antrorsum decurrebant et reliqua descendebant, priusquam foramina vertebrarum intrarunt; radices anteriores posterioribus tenuiores, atque ita cerebro deficiente medulla spinalis evoluta erat, quod ***Galli***[5]) sententiam confirmat, qui, ut ***Prochaska***, ***Mohrenheim***, ***Meckel***, ***Bell*** et multi alii, medullam spinalem non cerebro dependere, sed cerebrum efflorescentiam esse medullae spinalis, docuit. Medullam spinalem plane deficientem ***Süe***,[6]) ***Busch***,[7]) ***Meckel***[8]) et alii referunt, atrophicam ***Malacarne***, solitam latitudinem superantem et fissam ***Manget***, infissam ***Tyson***[9]) descripsit.

6. ***Prochaska***[10]) et ***Klein***[11]) nervos opticos non cruciatos adspexerunt; ***Klein*** praeterea par quintum crassius solito descripsit.

7. Quod denique ad structurám spectat nervorum, nervi in anencephalis aut illis in partibus, ubi emittuntur, aut in toto decursu plerumque sine substantia medullari reperiuntur, ut in hydrocephalis et hydrorhachia.

---

1) *J.* de medec. T. XXIII. p. 151.

2) *Saggio di osservaz e memorie sopra alcuni casi memorabili rescontrati nell csercizio della medicina. T.* 1. *in Padova.* 1795. *no. IV. p.* 57 — 63.

3) Philos. trans. no 251.

4) Desc. quor. monstror. Stuttgard 1793. p. 23.

5) Untersuchung über die Anatomie des Nervensystems überhaupt, und des Gehirns insbesondere. Paris und Straßburg 1819. p. 11.

6) Ueber die Vitalität p. 7.

7) Beschreibung einiger denkwürdiger Mißgeburten. Marburg 1803. p. 15.

8) l. c. p. 209.

9) Philos. trans. n. 228. p. 533.

10) Annot. acad. f. III. p. 175.

11) l. c. p. 16.

8. Labium leporinum *Prochaska, Meckel, Otto, Walter* et alii observarunt, quod vitium, ut palatum fissum ex hydrocephalia derivare vult *Beck.*[1]) Aquam nempe in capite hydropico per laminam cribrosam et cavum nasi defluere, atque ita concretionem labiorum, in priori statu evolutionis fissorum, cohibere dicit.

9. *Otto* septum narium deficiens commemorat.

10. In intestinis anencephalorum haecce vitia reperta sunt.

a. Diverticula, ut *Rosenmüller*[2]) et *Otto*[3]) narrant,

b. Lobuli glandulae thymus segregati,

c. Herniae diaphragmatis,

d. Hepar ita lobulatum, ut in primis 11 hebdomadibus evolutionis esse solet,

e. Ventriculus a canali alimentari plane sejunctus,

f. Defectus pericardii ab *Otto* observatus.

g. Capsulas suprarenales vel prorsus desiderari, ut *Klein, Sömmering,*[4]) *Winslow,*[5]) *Otto*[6]) et *Meckel*[7]) narrant, vel minores reperiri. jam *Hewson*[8]) vitium anencephalorum constans recte commonuit, et *Morgagni,*[9]) *Meckel p., Sömmering, Cooper* et *Renard* confirmavere.

h. *Büttner*[10]) in anencephalo penem sine praeputio, glande scrotoque descripsit; alii alia genitalium vitia minoris momenti narrant.

11. *Meckel p.,*[11]) *Berg, Zacchias*[12]) alii capillorum in toto

---

1) Ueber den ursprünglichen Hirnmangel p. 82.
2 u. 3) conf. §. 5. g.
4) l. c.
5) In *Rigels* dissert. de usu glandularum suprarenalinm. etc. Hafniae 1791. §. 4.
6) l. c. — Monstr. trium cerebro destit. anat. disquis. p. 17. 19. 21.
7) l. c. p. 232.
8) In Philos. trans. Vol. 65. P. 2. p. 315. *Will. Cooper* dicit: *Mr. Hewson sometimes befor his death sumed to be confirmed in the opinion that whenever children are born with tittle or no Brain the capsulae renales are allways very much diminished. This is certainly the case in one or two allmost brainless children, which i have by me, and whose renal capsulae he examined, with a view of being furter satisfied upon tkis subject.*
9) Ep. anat. XX. a. 11. 56. 58.
10) Anatomische Wahrnehmung von einer Mißgeburt ꝛc. In seinen anatomischen Wahrnehmungen. Königsberg und Leipzig. 1769. 4. p. 188. mit Abbildungen.
11) In Hallers Grundriß der Physiologie, übersetzt von Sömmering, herausgegeben von Leveling. Bd. 2. p. 688. u. d. Note.
12) Dicit enim: totus pilosus fuit, praesertim in part. super.

corpore, praesertim in peripheria vesicae illius cerebralis, quae in anencephalis cranii locum tenet, valde excultorum mentionem fecerunt, quod ita explanandum: capilli extensione vesicae cerebralis, cute non obtectae, in ejus peripheriam repulsi,[1]) in loco normali efflorescere nequeunt, quam ob rem tota in cute, et praecipue istis in partibus (in tergo) evolvuntur.

12. Simili modo vegetationem partium nonnullarum in anencephalis adumbrari possumus adauctam, quam *Zacchias* et *Caldani* descripserunt, nec non *Bayle*[2]), qui foetum duobus dentibus incisivis corporeque sat evoluto commemoravit. Vis enim vegetativa et extensio systematis cerebralis sibi oppositae videntur, quum, quo minus partes systematis nervosi centrales excultae sunt, eo major nisus reproductionis inveniatur, quare etiam in amphibiis cutis, ungues et capilli valde exculti, magis in avertebratis, et plurimum in plantis videantur, quae nervis sensu strictiori carent. *Beck* illam sanguinis copiam in anencephalis, quae ad nutritionem capitis, usu suo aberrantis, inserviat, ad truncum defluere, illumque magis evolvere judicavit. Ita quoque fiat, ut anencephali plerumque pinguiores in conspectum veniant.

13. Tandem in systemate vasorum sanguiferorum vitia quaedam reperta sunt. *Clarke* nempe, *Busch* et *Tiedemann* unam modo arteriam umbilicalem decursu abnormi observavere, et *Bussiére*[3]) carotides et arterias vertebrales in membrana tenui, basin cranii obducente, ramificantes vidit.

III. DE VITA ANENCEPHALORUM.

§. 12.

Quamdiu foetus matri inest, cerebri defectus nequaquam vitam turbat, e contrario illa monstra melius esse solent nutrita. Sympathicus enim, (cui *Francois Bayle*[4]) primum autocratiam vindicebat,) qui

1) Beck. Ueber den ursprünglichen Hirnmangel.
2) Roux J. de medec. t 25. p. 521.
3) Philos. trans. no. 251.
4) Tractatus de apoplexia. Tolos. 1677.

e medulla spinali maximis plurimisque radicibus abit, nutritionem ut in sanis curat, et radices nervorum motoriorum, quae e medulla spinali emittuntur, nisi partes movendae desint, motus provocant. Itaque usque ad partum anencephali, ut foetus normales, vigent, post partum autem sine centro systematis nervosi propriam vitam hac de causa sustentare nequeunt: ante partum foetus a vita matris dependet, et idcirco minus momentum cerebri, cui functiones animales subjectae sunt, quas serius demum foetus matre sejunctus exerceat; quare post partum, quum ob cranii defectum functiones illae procedere nequeant, mortem intrare necesse est. Qui autem fiat, ut vita in anencephalis post partum tempus aliquot perdurare possit, disquisitiones systematis nervosi, quas *Bell*[1]) optime enucleavit, sat dilucidant. Nam *Bell*, ut jam antea *Legallois* et *Lawrence*, medium medullae spinalis funem cerebrum non appetere, sed in medullam oblongatam abire docuit, quare et functiones illius funis, vel cerebro exciso, breve tempus perdurare possunt. Illo autem fune nervi respirationis emmittuntur, qua de causa, si illorum origo integer sit, etiam respirationem expedite procedere posse facile intelligitur. *Bell* experimentis confirmavit dissectionibus in quinta vertebra cervicali institutis[2]), anencephalos motiones involuntarios, (distinguit enim spontaneos ab involuntariis.) nisi organa respirationis desint, perficere posse, dum spontanei, quibus centrum sensorii, cerebrum, opus est, silent. Propterea igitur anencephalos post partum vivere quidem valere, at perbreve tantum tempus, patet, et *Bichat*[3]) itaque recte dicit, vitam animalem in alio foetu post partum incipientem, in his monstris, quum centrum desit vitae, nequaquam exordiri posse; sensus quidem adesse, minime vero, quod effectum in illos percipiat, — musculos quidem, minime vero, quo moveantur. *Beck* vitam anencephalorum post partum perdurantem minori cerebri dignitate explanat, quae jam

---

1) Physiologische und pathologische Untersuchungen des Nervensystems, aus dem Englischen übersetzt von Romberg, mit einem Anhange zur Bestätigung der Bell'schen Theorie durch neue entscheidende Experimente von Joh. Müller. Berlin 1832.

2) l. c. p. 105.

3) l. c. Thl. 2. Abthlg. 1. p. 220.

inde intelligatur, quod plures animalium avertebralium classes cerebro careant, et anencephali ante partum vivere veleant. Quam opinionem autem falsam rejicimus, nam in avertebratis vitia non eadem sustentatur respiratione, qualem homo post partum cerebro modo exercere valet.

§. 14.

IV. ANENCEPHALI POST PARTUM VIVI.

Non ineptum nobis videtur, nunc descriptionem anencephalorum vivorum, quos in scriptis reperimus relatos, paucis verbis proferre. ***Protolongo***[1]) monstrosum foetum sine capite et thorace editum vitam tamen post partum prodidisse, memoriae tradidit. ***Rayger***[2], monstrum descripsit, quod loco cerebri massam cum duobus ventriculis exhibuit, nec ullum medullae spinalis vestigium, quamquam columna vertebralis normalem praebebat adspectum; et hoc 24 horas vitam protraxit. ***Marrigues*** et ***Penchienati***[3]) anencephalum viderunt, puellam, tres dies viventum cerebro paullulo magis evoluto; similes casus ***Klein***, ***Hull*** et ***Tyson*** observarunt. ***Sweatmann***[4]) historiam anencephali narrat, cujus basis cranii tanta vesica obducta erat, ut in partu ea pro velamentis ovi, secundum foetum continentis, haberetur. Quae quum arcum pubis intraret, dilacerata est, totumque cerebrum, massae mollis instar, effusit. Nihilominus foetus facile respiravit, vociferatus est, et oculos extremitatesque inferiores agitavit, nec convulsive, sed stimulis permotus externis. Ita tres peregit horas, tunc vitae signa paulatim disparuere, et 7 horas post infans mortuus. Sectio occiput et nonnullas vertebras cervicales defuisse docuit, quorum locum saccus membranaceus fluido impletus occupavit. Medulla spinalis normalis erat.

Denique de anencephalis post partum vivis notandum, plerosque convulsionibus demortuos esse.

---

1) *Descrizione anatomica di due acefali ad alcune osservazioni sull' azione di nervi, in d. Annali di Science e Lettere. Vol. 1. p. 27.*
2) Ephem. n. c. Dec. II. a. VIII. p. 107.
3) *Mém de Turin.*
4) In Charles Bells physiologische und pathologische Untersuchungen des Nervensystems aus dem Englischen übersetzt von Romberg. p. 39.

V. NONNULLI ALII ANENCEPHALI.

§. 15.

Adhuc commemoratu digna nobis videntur nonnulla anencephalorum in partu mortuorum exempla, quae varii auctores nobis reservarunt, et transitum acephalorum ad anencephalos formare et documento esse videntur, anencephalos in evolutione sua jam magis esse progressos ac acephali.

Büttner[1]) casum observavit, quo os occipitis solum aderat. *Odhelius*[2]) monstrum sine collo et bracchiis, in superiori fine cranio quodam sub cute exstructum. Cadavere dissecto praeter hydatides et vasa parva sanguifera duramque matrem nihil reperit. Os et oculum sinistrum plicae modo cutaneae prodiderunt, cranium duobus ossibus frontalibus conformatum, et in parte postica duobus ossibus, ut illis occipitis, conjunctum erat. In canali vertebrali medulla spinalis frustra requirebatur, quamquam ejus integumenta aderant. *Le Cat* aliud descripsit monstrum, in cujus superiori fine massa ossea experta est, cui vestigia ossium capitis inerant, et prominentia intumida, ganglio similis, medullam spinalem exhibebat. *Isenflamm* denique monstrum commemorat cum inexcultis ossium capitis partibus.

Plurimos anencephalos conspexerunt et exposuerunt *Haller*[3]), *Sandifort*[4]) *Sömmering*[5]), *Meckel*[6]) et praeterea nonnullos enumeravere *Launay Hanet*[7]), *Schweighäuser*[8]), *van Döveren*[9]), *Knakstedt*[10])

---

1) l. c. p. 188.

2) Beschreibung einer Mißgeburt in den neuen Abhandlungen der Königlichen schwedischen Akademie der Wissenschaften. Jahr 1785. B. 6. p. 192. mit einer Abbildung.

3) De foet. human. septimestr. sine cerebr. edit. in opp. anat. Gotting 1751. p. 281.

4) Anat. inf. cerebro destit. 1784.

5) Abbildung und Beschreibung einiger Mißgeburten. Cassel 1791. p. 9.

6) Handbuch der pathologischen Anatomie. B. 1. p. 196.

7) Journ. de médec. t. 21. p. 44.

8) Beschreibung einer Mißgeburt. Tübingen 1801.

9) Observat. acad. Cap. 11.

10) Beschreibung einer Mißgeburt. Petersburg 1791.

Bianchi, Böhmer[1]) *Heiland*[2]), *Twis, Monton*[3]), *Dolignon, Rossi, Caldani etc.*

VI.

§. 15.

Foetus, de quo nobis sermo fit, priusquam adeamus expositionem, anencephali e Museo anatomico Berolinensi desumpti, cranium describamus, quo, quum illi nostro persimile sit, duce utamur.

DESCRIPTIO CAPITIS FORMAE.

Omnia ossa capitis a mento ad occiput et uno latere ad alterum arcum superne convexum formant. Maxilla enim inferior prominet superiorem, facies usque ad ossium frontis rudimenta retro asscendit, unde basis cranii, in tergum recurvata, arcum axhibet reclinatum, dorsum excipientem, dum partes cranii laterales, postica' parte magis descendentes ac anteriori, profundiorem servant situm ac media basis cranii, nec ullum colli vestigium in conspectum ferunt.

DESCRIPTIO PARTIUM CAPITIS SINGULARUM.

Maxilla inferior, ut supra diximus, valde prominet superiorem, antice latissima, quum in mento semicirculum conformet. Simul extremitates ejus posteriores a superiori parte ad inferiorem compressae conspiciuntur. Processus ejus condylodei situm servant horizontalem, coronoidei normalibus crassiores extus petunt. Margo orbitalis non planum occupat verticalem, sed retro adscendit. Orbita ipsa valde extensa et plana in externum detracta est, quod peculiarem capiti praebet adspectum, oculosque in anencephalis plerumque prominentes reddit. Partes orbitales ossium frontis perbreves superiorem orbitae parietem modo imperfectum conformant, ita curvatae, ut simul

---

1) Obs. anat. fasc. I. t. III. IV.

2) Monstrum Hassiacum in Licet traité de monstres. p. 333.

3) *Journ. de Savans. Août* 1722. *p.* 186.

intus parietem orbitarum componant lateralem. Rudimenta ossium frontis reflexa fere horizontalem situm obtinent, quo similem nasi et ossium zygomaticorum definiunt, quae praeter normam antrorsum et in externum protracta apparent, indeque magna ex parte orbitae parietem inferiorem externumque constituunt. Pars occipitalis ossis occipitis, pars frontalis ossis frontis et pars squamosa ossis temporis limbis modo prominentibus distingui possunt, et ossa bregmatis prorsus desunt, quam ob rem calvaria deficiente basis cranii conspicua est. Processus ensiformes ossis sphoenoidei desiderantur, eorumque radices cum processibus clinoideis anterioribus semicirculum formant, processu clinoideo medio in duas partes laterales divisum, quarum utraque foramen opticum constituit. Formam alarum magnarum oss. sphoen. in Fig. I. sat perspectam habemus, ut accuratiorem expositionem superfluam reddat. Deficiente lamina cribrosa ossis ethmoidalis, deficientibus et ipsis processibus ensiformibus utraque fissura orbitalis superior iu unam maximam aperturam confluit. Ossa petrosa transversa sunt, in superficie superiori plana apparent, deformia, et ambitu et evolutione inaeqnalia, quum sinistrum minus, tenuius, et ob prominentiarum foraminumque minorem numerum aurem internam minus evolutam ac dextrum includat. Ossibus petrosis et parti basilari ossis occipitis in utroque latere rudimenta deformia in situ transverso adjacent, quae habere velim partes condyloideas oss. occipitis. Quibus in margine externo cartilagine alia cohaerent ossicula, primo retroversa, tunc antrorsum processus externos et perlongos emittentia, quorum sinister ossi temporis sutura quadam adjunctus est, dexter vero libere exit. Haec ossicula ob formam situmque rudimenta aestimarem partium occipitalium oss. occipitis. Margo posterior ossis basilaris occipitalis et ossium occipitalium lateralium marginem semilunarem constituunt, quem vertebrae cervicales ita explent, ut in medio ossa compluria, forma et situ irregularia, quae vertebrarum cervic. corpora significant, et utroque eorum latere partes laterales vertebrarum deformes concretae perspicuae sint. Qua de causa et in sceleto ita formato ne minimum quidem conspicimus colli indicium.

FOETUS NOSTRI DESCRIPTIO.

§. 16.

Facies minus antrorsum directa, os frontis, summum capitis ita retro petit, ut magis in altum spectet. Ex mento aeque profundo ac humero cutis pinguedine substrata anticam pectoris superficiem vergit, ut nec ab anteriori parte, nec a latere constrictio ulla collum prodat, quare aures humeris innituntur. Tota facies bestiae similem praebet indolem, quod praeter peculiarem ossium faciei formam integumenta valde obesa efficere videntur. Ex osse frontis dorsum, quod, ut tota basis cranii, usque ad pelvin tegumentis solitis prorsus caret, saccus membranaceus, a *Brechet* [1]) in anencephalis pia mater descriptus, obtegit, qui reflexus, modo parte orbitali oss. front. affixus est, et per longitudinem suam dissectus, parcam continebat frustulam massae subgranosae, laxa tela cellulosa conglutinatae, quae inter digitos facile conterenda vix cum rudimentis contritis cerebri comparari possit. Sacci dimidiis, in cujus parietem, basin cranii obruentem, capitis nervi et vasa nonnulla se immiserunt, reflexis, basis cranii et columna vertebralis enudatae in conspectum venerunt. Ex arcu superciliari basis superne convexa ad columnam descendit vertebralem, et eandem conformationem exhibet quam basis §. 15 descripta, nequaquam autem, ut illuc, cum columna vertebrali in eodem plano est sita, dum haec ex occipite arcu majori antrorsum incurvata tum in aversum redit, et minus arcuata in pelvin abit. Margini cutis, qui locum enudatum circumdat, capilli insident, ut capitis esse solent. Tela cellulosa dorsi caute remota spinam bifidam inveni, quae, tegumentis ossis sacri dissectis, completa recognita est. Dimidia arcuum omnium vertebrarum, utroque latere in externum rejecta, ut basis cranii, membrana obtecta erant fibrosa, quae productione quadam membranacea, rubra et nitente in cutem transit, et cicatrici simili exitum inflammationis, quae hydrocephaliam procreaverit, adfuisse nos docet. Inde ex occipite, hic vero non inhaerens,

1) Medizinische Encyclopädie von Meißner. Bd. I. p. 292.

nec illo sacco conjunctum, in superficie columnae vertebralis ligamentum descendit tenue, usque ad vertebram primam lumbalem antrorsum, sicut vertebrae dors, incurvatum, (Fig. II. k.) quod cuneiforme in caudam transit equinam, quodque ut accuratius conspici possit, evolvimus, Fig. II. l, Hoc ligamentum, procul dubio pia mater, lamina medullari tenui, rudimento medullae spinalis, obrutum est, quae in utroque margine per totam longitudinem quasi in filium crassiorem intumuit, unde nervos, medulla spinali emissos, usque ad foramina intervertebralia cultre ita prosecuti sumus, ut radices anteriores posterioresque facile distinguere potuerimus. Nervi superiores directe adscendunt, inferiores minus obliqui antrorsum decurrunt, et pone primam vertebram lumbalem nervus crassior descendens exit. Medulla spinalis ita consumpta simul, superficie anteriori et posteriori nequaquam mutata, ad dextrum latus paullulum protracta est, ut nervi lateris dextri intus, sinistri autem in externum foramina intervertebralia adeant. Infra illos nervos, qui pone vertebram lumbalem primam descendebant, ligamentum coarctari incipit, et lamina medullaris paullatim ita fit tenuior, ut in ramis caudae equinae vix eam detegere potuerim. Superiorem licet rudimenti medullae spinalis finem cautissime perscrutati simus, tamen locum (medullam oblongatam), quo nervi, quos in basin cranii immissos inveni, ortum excipiant, nequaquam reperi. Medullae spinalis finis superior, parti basilari ossis occipitis vix incumbens dilaceratus esse videtur, quare medullam oblongatam foetus, ceterum incolumis, et dum vivebat oculos ipsos moventis, quum huc transportaretur in vitro extritam et connexum nervorum cerebralium complurium cum rudimento cerebri post mortem destructum esse judico; nam ut *Bell* docuit monstrum sine illa vitam minime sustentare potuisset. Basin accuratius ad perscrutandam vasa nervosque, sacco inhaerentes reflexo, nunc describendos dissecuimus: primo nervos vag., glossopharyng. et access. *Willisii* ad inferiorem externamque basis partem, in foramine jugulari coeuntes Fig. II. i. i., et laxa tela cellulosa cohaerentes, facile vero distinguendos. Supra illos meatus auditorios internos sat amplos nervi permeant crassiores, quos, etsi

quisque minime partitus est. tamen nervos faciales tela cellulosa densa acusticis coalitos habeo, Fig. II. h. h. Supra illos, ubi basis cranii paullulum descendit, trigemini, quorum ganglia permagna in telam se immittunt fibrosam inveniuntur, Fig. II. f. f. Altius adhuc et intra illos nervi abducentes (crassiores delineati) sulcum membranaceum explent, quos, quum nimis essent exiles, usque ad process. clinoid. anter. et radices proc. ensiform. oss. sphoenoid. tantum cultro persequi valuimus, Fig. II. g. g. Inter hos et glandulam pituitariam magnam ex basi cran. carotides prodeunt, Fig II. d. d, quae, antequam processus clinoideos subeunt, et antequam in foramen opticum arteriam ophtalmicam emittunt, dextro latere ramum largiuntur abnormem Fig. II. o. Arteriam ophthalmicam nervi optici comitantur, Fig. II. b. Ad radices processuum ensiformium et supra abducentes decurrunt nervi oculomotorii, Fig. II. e. e. Reliquos nervos cerebrales frustra investigavimus.

Abdomine aperto, sin arteriae umbilicalis sinistrae defectum et ampliorem arteriam umbil. dextr. excipias, nil praeter normam conspicuum. Et glandulae suprarenales in hoc anencephalo parvae adsunt. Quum organorum pectoris ob foetus vitam post partum normalem conjecerimus formationem, haec accuratius non indagavimus. Et in hoc, ut in plurimis anencephalis, cutis pinguedine sat substrata est.

§. 17.

Hic anencephalus septimestris masc. gener. anno praeteriti Eupeniae natus, a parentibus quatuor infantum et sanorum et bene formatorum sanis genitus, et in partu agrippino editus est. Vitam respiratione regulari nec non motu cordis, tactu audituque percipiendo, et fomentationibus vinosis accelerato prodidit; et in situ, stimulis externis inturbato, os et oculos, minime autem brachia cruraque movit. Omnes qui motus paullatim debiliores facti post horam integram morte denique cessarunt, nihilomiuus vero corporis calor adhuc aliquot tempus remanebat.

Hoc monstrum nunc Museum anatomicum Berolinense servat.

§. 18.

Illi persimilem anencephalum *Spessa* [1]) observavit, cerebro deficiente horas undecim post partum in vita perseverantem. Medulla spinalis in cute nuchae ortum cepit veruca quadam, quae, quum digitis tactu motum respirationis acceleratum redderet, et clamorem singultumque provocaret, procul dubio medulla oblongata aestimanda. Nervi cerebrales locos quidem obtinebant normales, ad basin cranii autem disparuerunt. Alium adhuc casum persimilem continet fasc. Jan. medic. chir. review.

---

1) *Gaz. med. Janv.* In Müllers Archiv für Anatomie und Physiologie und wissenschaftliche Medicin, Jahrgang 1834. p. 168.

EXPOSITIO FIGURARUM.

Figura I.

a. a. Ossa nasi
b. b. Process. nasales maxillae superioris.
c. c. Ossa frontis.
d. d. Arcus superciliares oss. front.
e. e. Ossa zygomatica.
f. f. Orbitae.
g. Arcus zygomaticus.
h. h. Partes orbitales oss. front.
i. i. Laminae papyraceae oss. ethmoid.
k. k. Alae magnae oss. sphoenoid.
l. l. Foramina rotunda.
m. m. Foramina ovalia.
n. n. Foramina spinosa.
z. z. Canales carotici.
o. o. Radices proc. ensiform. cum proccibus clinoid. anter.
p. p. Foramina optica.
q. Processus clinoid. med.
r. Foramen in sella turcica.
s. Processus clinoid- poster.
t. Pars basilaris ossis occipitis.
u. u. Rudimenta partis squamosae oss. temporis.
v. v. Partes petrosae oss. tempor.

1. Meatus auditorius internus.
2. 2. Foramina jugularia.
w. w. Partes condyloideae oss. occipit.
y. Foramen condyloid. anter.
x. x. Partes squamosae seu occipitales oss. occipit.
3. 3. Arcus vertebrarum cervical. dimidiati.

Figura II.

a. a. Saccus cerebralis dissectus et reflexus.
b. Nervi optici.
c. Glandula pituitaria magna.
d. d. Arteriae carotides.
o. Ramus carotidis abnormis.
e. e. Nervi oculomotorii.
f. f. Nervi trigemini.
g. g. Nervi abducentes.
h. Nervi faciei cum acusticis.
i. Nervi accessorii Willisii, vagi et glossopharyngei.
k. Medulla spinalis cum ejus nervis.
l. Cauda equina.

V I T A.

Natus sum ego Herrmannus Mattersdorf, veteri fidei addictus, die **IV.** mens. Aug. anno h. s. decimo Bregae, oppido Silesiae, parentibus optimis, quos ut Numen propitium perdiu incolumes mihi servare velit, preces mitto quotidianas. Primis literarum rudimentis domi imbutus, puer duodecim annorum Gymnasium in urbe patria adii, cujus viros celeberrimos Dr. *Schmieder*, Professor et Director, *Sauermann*, nunc beatum, et *Matthisson*, Professores, *Schärf* et *Hintze* optime de me meritos, grato animo veneror. Anno MDCCCXXXI, examine pro maturate rite absoluto, almam literarum Universitatem Vratislaviensem petii, et ab Ill. *Wachler*, penes quem tum temporis fasces academici erant, et ab Ill. *Wendt*, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Scholis Clarissimorum Virorum abhinc per tres annos et dimidium interfui hisce:

Cel. *Barkow* de osteologia et syndesmologia.

Ill. *Benedict* chirurgiam generalem et specialem, fascias et instrumenta chirurgica rite applicanda, operationes in cadaveribus instituendas mihi exposuit. Idem Vir *Egregius* et examina de gravioribus chirurgiae capitibus frequentandi veniam dedit, et, qua in-signis est, doctrinae ubertate et profunditate in exercitationibus clinico chirurgicis per annum integrum et dimidium dux fuit benevolentissimus.

Ill. *Betschler* arte obstetricia cum theoretica tum practica me instituit, et in Policlinico, quod sub ejus auspiciis floret, dux mihi exstitit eximus, benignissimus summeque colendus.

Ill. *Braniss* de Logica,

Ill. *Fischer* de Chemia et anorganica et organica, quum universali tum pharmaceutica,

Ill. *Glocker* de Mineralogia,

Ill. *Gravenhorst* de Zoologia audivi.

Exc. *Göppert* in s. d. excursionibus botanicis dux mihi exstitit optimus.

Ill. *Henschel* officinarum plantas,

Ill. *Klose* encyclopediam medicam et therapiam generalem,

Ill. *Nees* ab *Esenbeck* botanicen me docuit.

4

Ill. *Otto* anatomen corporis humani, anatomen comparatam et pathologicam, historiam foetus, methodum sectiones forenses instituendi eximie mihi enucleavit, nec non per duo semestria hiemalia in exercitationibus anatomico-practicis dux mihi adfuit et moderator eximius.

Ill. *Purkinje* physiologiam corporis humani, experimentis collustratam, pathologiam generalem, toxicologiam experim. collustr., et demonstrationes microscopicas elementorum corporis humani pro eximio ingenii sui acumine me docuit.

Ill. *Pohl* de Galvanismo audivi.

Ill. *Remer* therapiam pyrexiarum et apyrexiarum specialem disertissime ac doctissime mihi enucleavit. Idem *Praeclarus* per annum et dimidium in exercitationibus medico-clinicis et policlinicis gravissime me adjuvit.

Exp. *Remer* junior morbos auditus mihi evolvit.

Ill. *Rohowsky* de Cicer. de finib. bonor. et malor. lib. III.,

Ill. *Steffens* de Physica,

Ill. *Wendt* de materia medica et exanthematibus audivi.

Praeterea Exp. Dr. *Remer* j., *Köhler*, *Klose*, *Burchard* et *Jenner* ad aegrotorum lectos benignissimi duces fuerunt.

Mense deinde Apr. anni MDCCCXXXV Universitatem literariam Berolinensem adii, ubi ab Ill. *Steffens*, t. t. Rectore Magnifico, ab Ill. *Busch*, t. t. medicorum Decano maxime spectabili in civium academicorum numerum receptus sum. Hac in alma literarum sede scholis clinicis interfui obstetriciis Ill. *Busch*, chirurgicis Ill. *Rust* et Ill. de *Graefe*, ophthalmicis Ill. *Jüngken* rapeuticis Ill. *Wolff*.

Quibus omnibus Viris Illustrissimis, Excellentissimis Experientissimisque, praeceptoribus meis, jam, superato tentamine et philosophico et medico nec non examine rigoroso, summos in medicina et chirurgia honores ambiturus, palam sincerrimas maximasque, quas possum, gratias refero, easque in sempiternum habebo.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Sunt conditiones quaedam, quibus, licet infantis demortui signa non certa exstant, excerebratio tamen conceditur et jubetur.

2.

In libris, materiam medicam tractantibus, musices mentio fiat necesse est.

3.

Icterum e bile iterum resorpta nasci posse nego.

4.

Febris hectica amputationem non solum non dissuadet, immo vero saepe gravissimam amputandi dat indicationem.

5.

Vasorum ligatura torsioni est praeferenda.

6.

Omnium disciplinarum medicinae anatomia est fundamentum.

7.

Exsistere potest inflammatio in corpore asthenico, ipsa inflammatio nunquam asthenica.

Fig. I.






Fig. II.
a
a
b
c
d
d
e
e
f
f
g
g
h
i
k
l
o